IRIMBERTUS ADMONTENSIS
Admont, um 1175
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25874
Copyright: Admont, Benediktinerstift



dicitur: quia p cognitionem dei & sui. preterite stulticie nota in uita hominis deprehenditur: In thabor: uenitur: que ueniens lumen interpretatur: cum manifesta cognitione ueritatis. mentis acies illustratur: Ad dabereth. egreditur. quod loquens dicitur: & contra iafie ascenditur: quod adaptio uel ostensio interpretatur: cum in CONFESSIONIS secreto. latens peccati uulnus manifestatur: Inde ad orientalem plagam gethefer. & thagasin pertransitur: cum p mortificationem carnis. & meditationem iudicii. directio cordis tenetur: que p orientalem plagam exprimitur: Gethefer: enim torcular eius. humi. uel fossum interpretatur: p quam mortificatio carnis figuratur: in qua CRUCIS mortificatio efficitur: que p TORCULAR exprimitur: Thagasin. meditatio IUDICII dicitur: per quam DIRECTIO CORDIS perficitur: SEQUITUR.

EGREDITUR In remmon. amthar. & noa. & circuit aquilonem & nathon: fitq; egressus eius uallis nepthahel & capthec. & nealal. & semrom. & geddula. & bethlehem: ciuitates duodecim. & uille earum.

TERMINUS Zabulon in remmon egreditur: que sublimitas dicitur: cum uite merito. fidei perfectio apprehenditur: que a saluatore a discipulis exposcitur: dicentibus. domine ad auge nobis fidem. Amthar: deprecatio interpretatur: p quam SPES figuratur: quia in spe oratio dirigitur: sicut apostolus loquitur: Debet enim in spe qui arat arare: & qui triturat in spe fructus percipiendi. Noa. mouens. uel commotio dicitur: p quam CARITAS exprimitur: que in aduersis proximi compassionis motu tangitur: sicut apostolus loquitur: Caritas patiens est: benigna est. Terminus aquilonem circuit: dum p fidem. spem. & dilectionem. fidelis quisq; temptationem suam uincit: que ab aquilone procedit. Unde sponsa in CANTICIS dicit. Surge aquilo: & uenit AUSTER. Ad nathon pertingitur: quod donum dicitur: p quam HUMILITAS exprimitur: que post decursam temptationem. dono sancti SPIRITUS acquiritur: Terminus in uallem nepthahel egreditur: que seruiens deo. uel ursus dei dicitur: p quam CASTITAS exprimitur: que deo in sinceritate famulatur: que carnalibus uiciis. uelut agri bestiis instar ursi reluctatur. Capthec. manus exploratorum. siue tortorum interpretatur: p quam LONGANIMITAS figuratur: quam qui fortiter tenere laborant. eterne patrie gaudium explorant: & more tortorum affligentes se malignos spiritus afflictionibus grauant. Nealal. laus dicitur: p quam PERFECTIONIS Summa exprimitur: de qua apostolus loquitur: Omnia quecunq; facitis in uerbo. aut in opere: omnia in gloriam dei facite. Semrom. custos eius interpretatur: p quam sollicita VITE custodia designatur: qua sollicite precauetur: ne bona labore quesita depereant: ne mala latenter subintroeant. Geddula. manum